



## Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,  
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]  
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum  
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

**Burchardus <Wormaciensis>**

**Parisiis, 1549**

De illis qui quando luna obscuratur clamores suos, & maleficia sua  
exercuerint. xxxiii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10722**



candelam seu quodlibet munus deferat, veluti ibi quoddam numen sit, quod bonum aut malum possit inferre.

*De illis qui quando Luna obscuratur, clamores suos  
& maleficia sua exercuerint. Cap. XXXIII*

Quicumque exercuerint hoc quando Luna obscuratur, *Ex codic. Arelatē.*  
ut cum clamoribus suis ac maleficiis & sacrilego usu  
se posse defendere credant, & quicumque diuinos *cap. 5.*

præcátatores, phylacteria etiam diabolica, vel cara ceteros  
diabolicos, vel herbas, vel succos, suis vel sibi impendere  
tentauerint, vel quintâ feriâ in honoré Iouis, vel Calen. Ian-  
nuæ, secundum paganâ consuetudinem honorare præsum-  
pserit, monachus V. clericus III. laicus II. annos pœniteat.

*De illis qui vanitates suas in excubiis exercuerint.*

*Caput XXXIII.*

Laici qui excubias funeris obseruant, cū timore & tre- *Ex eodē  
cap. 3.*

more & reuerentia hoc faciant. Nullus ibi præsumat  
diabolica carmina cantare, non ioca & saltationes facere,  
quæ pagani diabolo docente adinuenerūt. Quis enim ne-  
sciat diabolicum esse, & non solum à religione Christiana  
alienum, sed etiam humanæ naturæ esse contrarium, ibi  
lætari, cantari, inebriari, & cachinnis ora dissolui, & omni  
pietate, & affectu charitatis postposito, quasi de fraterna  
morte exultare, vbi luctus & planctus flebilibus vocibus  
debuerat resonare pro amissione chari fratris? Patres si-  
quidem veteris ac noui testamenti, mortes sanctorum vi-  
rorum legimus multis in locis cum fletu deplorassee: in nul-  
lo autem loco qui à seculo recesserant exultasse. Nam &  
Iacob patriarcham fleuit tota Aegyptus LXX. diebus. Et  
Ioseph, & fratres eius cum patrem deferrent in terram  
Chanaam ad sepeliendum, celebrantes exquias ad aream  
Athael, quæ sita est trans Iordanem, planctu magno atque  
vehementi impleuerunt. VII. dies. Tantus autem fuit plā-  
ctus, vt locus inde nomen acciperet. Et de beato Stepha-  
no legimus, quod sepelierunt eum, siue curauerunt viri ti-  
morati, & fecerunt planctum magnum super eum. Et ideo  
talibus inepta lætitia & pestifera cantica, ex autoritate Dei  
interdicenda sunt. Si quis autem canatres desiderat: Kyrie-  
leeson cantet, sin aliter, omnino taceat. Sin autem tacere  
non vult, in craftino à presbytero taliter coërceatur, vt  
cæteri timeant.